



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 16. Dux Romam venire, a Columnensibus tandem persuasus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

dens, piis Patronorum suorum studiis Sæcul. XVI.
 haud deesset. A. C. 1512.

§. XVI.

*Dux Romam venire cunctatus, a
 Columnensibus tamen ad id
 persuasus.*

Cum vero hi securitatis literas Duci da-
 ri postularent, Julius eas consueto mo- Raynald. l. c.
 re expediri jussit, quæ ad Ferrariæ Du-
 cem per cursorem transmissæ fuerunt.
 Renuit primo Dux illas acceptare, in-
 quiens, „nolo me committere Viro, cujus
 „ subdolos inconstansque animus sat mi-
 „ hi cognitus est, quive etsi mihi recon-
 „ ciliatus, hostis tamen meus esse non
 „ desinet. „ Cum igitur Ducem ejus a-
 mici haud flectere possent, solertiam Fa-
 bricii Columnæ implorabant, quem Dux
 in Ravennatensi prælio ceperat, sibi que
 multis titulis obstrictum habebat. E-
 quidem Fabricius naturæ suæ genio ad
 præstanda Duci obsequia pronus erat, veri-
 tus tamen, ne forte illi nil prodesset, sibi ve-
 ro noceret, priusquam operam ei suam
 impenderet, Hispaniæ Legatum adiit,
 sciscitaturus, utrum se ceterosque Colu-
 mnenses datæ securitatis Sponsores Pon-
 tificex admitteret; Julio autem ne id qui-
 dem abnuente Fabricius Ducem, ut ob-
 temperaret, vehementius urgebat.

Hist. Eccles. Tom. XXXII. D d Ergo

Sæc. XVI.
A.C. 1512.

Ergo Ferrariæ Dux Julii aulam accedit, ubi a Pontifice ad pedum oscula admittitur, necnon in publico Purpuratorum confessu a censuris, quibus irretitus erat, liberatur: Cum vero de summa rerum agi cæptum esset, Julius a Duce Ferrariam obfirmatiore animo repetiit, hanc urbem denuo Ecclesiæ Patrimonio adjecturus, Duci vero duntaxat (*) in compensationem Atestinum comitatum promisit, idque beneficii loco haberi voluit, ne penitus (ut inquiebat) Ducem, pro cuius venia tot Principes deprecarentur, spoliare videretur. Nec id prætereundum, hunc Comitatum eo tempore a Papa possessum non fuisse, utpote non ita pridem a Fœderatis Principibus ereptum Gallis, a quibus, si Dux eundem comitatum acceptasset, brevi expulsus fuisset. Aliunde Comitatus redituum ubertate adeo non æquabat Ferrariæ Ducatum, ut Ducem ad tam arctam conditionem constringere, perinde esset, ac eundem exspoliare.

§. XVII.

(*) Paris & Raynaldus testantur, Papam simul pollicitum esse, se eidem viginti millium Ducatorum censum quotannis daturum.